

Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 158

Necesse est omnibus christianis, ut quamdiv vixerint, semper recogitent in Dei servitium de rebus propriis aliquid referre, quo per temporalia dona valeant adipisci premia sempiterna. Ex huius rei consideratione ego Winimannus, nomine non merito clericus, predium meum quod iacet in villa que dicitur Warthanc, ecclesiam I, necnon in alio loco qui dicitur Heritbretlar et Mermerdinga in marca Ardense tradidi ad monasterium sancti Willibrordi, quatinus fratres ibidem degentes michi prebendam omnibus diebus vite mee concederent et post obitum meum predium firmiter tenerent. Quod ita factum est. Notum sit tam presentibus quam et futuris et quam posteris meis, quod frater meus Thietmannus una mecum partem supradicti predii, que sibi conveniebat, per precariam ad predictum cenobium dedit fratribus, et in villa cuius vocabulum [est] Edinga in eius locum restituit. Actum anno Arnolphi regis.